

in Harmon. Evangel. pag. 119. 3. Imitantur tales Diabolum, qui nomen & omen calumniatoris habet. 4. Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris, *Matth. 7.* Adde locum *Prov. 8, 6.*

10. *An conveniat parentum vitia objicere filiis?*

Resp. 1. Non portabit filius iniquitatem Patris, *Ezech. 18.* 2. David non objecit Mephiboseto avi ejus Sauli improbitatem, 2. *Sam. 9.* 3. Mortuorum memoria debet esse in pace. 4. Posterius judicandi secundum illa, quæ ipsimet agunt, non quales fuerunt ipsorum majores.

11. *An quis, à latronibus comprehensus, si ab illis sub periculo vitæ cogatur, ut simul latrocinetur, parere debeat?*

Resp. Nequaquam: 1. lædit quintum præceptum, si obtemperat. 2. Vetantur solalia illa, *Prov. 1, 11. 12. seq.* 3. Occiduntur innocentes, igitur potius Deo, quam hominibus parendum, *Act. 5.* 4. Nec excusat coactio. Non enim quicquam faciendum, sive sponte, sive coactè, quod repugnat Dei præceptis. Obj. Atqui volunt eripere vitam, nisi pareant. Resp. Præstat vitam amittere, quam alios occidere, cum periculo læsi præcepti divini. Et si peccat ille, qui non liberat oppresos à latronibus, magis peccat, qui opprimere juvat alios, & si magistratus ad supplicium tales trahat, non est quod se coram Deo coactione excusent, agant poenitentiam, super pravo & vitioso consensu, & insequentibus delictis. Pertinet & hic casus vel quæstio ad quintum præceptum Decalogi.

## IN LOCO

## DE CONJUGIO.

## THEOREMATA.

1. 2. 3. **C**onjugium est divinitus instituta unius maris & unius foeminae in unam carnem, per plenum, justum, sincerum consensum, legitima & indissolubilis conjunctio, ut genus humanum sobolis procreatione propagetur, mutuū auxiliū obtineatur, & scortatio vitetur.
2. Dicitur Conjugium à *Jugo*, sub quo velut copulantur conjuges in ferendis secundis & adversis. Hinc Græcis *σύζυγοι*.
3. Meminit scriptura triplicis conjugii. (1.) Corporalis, quod est viri & uxoris legitima conjunctio, *Gen. 2. v. 24.* (2.) Spiritualis, quod est Christi & Ecclesiae, 2. *Cor. 11. Eph. 5. Matth. 22.* (3.) Gloriosi, quod est Christi & beatorū in altera vita, *Ap. 21. v. 2. & seq. c. 22. v. 17*
4. Dicitur.